



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Templa Deiparæ ante ejus conceptionem, ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

S. Thom. S. Thoma 3. par. q. 19. art. 3. ad 1. & q. 50. art. 6. ad 2. quod etiam docent Scotus in 4. dist. 1. q. 3. art. 3. Suarez tom. 1. in 3. par. disput. 39. sectio. 3. hic verò ab instanti suæ Incarnationis perfectissimè meruit teste S. Thoma 3. par. q. 34. art. 3. ideoque ut ait Bernardus serm. 2. Pentec. *lam tunc operabatur salutem nostram in medio terra, in utero videlicet Virginis Maria, qui mirabili proprietate Terræ Medium appellatur; ad illam enim, fit ut ad medium omnes respicere, non minus verè, quam eleganter probat ibi Bernardus.*

Moneat igitur, Christum in utero Virginis suo modo sabbatizasse, sicuti postea in monumento, & præstantiori quadam ratione in utero quievisse: propter hanc ergo similitudinem, quæ Deiparæ intercedit cum ijs, quæ in sabbato facta leguntur, dies sabbati ab Ecclesia eidem Virgini meritò est consecratus.

TEMPLA DEIPARÆ ERECTA.

Templa Deiparæ media.

23 **E**xplicatis ijs, quæ ad festos dies Deiparæ dicatos spectant, proponenda sunt templa in ejus honorem excitata; quod erat secundum ex ijs, quæ ab Ecclesia ad cultum eidem exhibendum præfati diximus: quæ quidem templa antiquissima, maxima; & omni memoria digna ubique gentium, atque locorum per omnes ætates à primarijs; & insignibus viris in Deiparæ honorem olim sunt extracta, & in dies extruuntur, Deo ipso ex præcedentibus, ac subsequentijs signis confirmante; quæ etiam à fidelibus non minor religione, ac pietate, quam suorum animorum, & corporum commodo celebrantur. Ejusmodi potèrè templa ad triplex, quo erecta sunt tempus reuocari possunt. Quædam antequam Deipara in lucem ederetur. Quædam dum ipsa viveret, vel paulò post. Apostolorum nimitum ætate. Quædam post ejus gloriosissimam in cælum Assumptionem Christi fidei per uniuersum terrarum Orbem jam disseminata eidem Virgini passim sunt posita, atque dicata.

TEMPLA DEIPARÆ ANTE EIVS conceptionem.

Maria à S. Parib. Sybilis **P**incipio illud ponendum est, quod c. 17. indicauimus, & cap. 34. iterum dicemus, Deiparam jam inde ab ipso mundi exordio

non tantum sanctis Angelis, quemadmodum ex D. Thoma cap. 5. offendimus: verum etiam nonnullis viris Sanctis diuinitus præcognitam eisque promissam, & ab ijdem ardentè desideratam, quod satis declarant Prophetarum de ipsa oracula, & mysticæ sacrarum rerum figuræ, quibus Bernardus sermone Signum magnum, & sermone 2. super missus est, cum alijs Patribus tum prænunciatam, tum adumbratam agnoscit, ut propterea S. Brigitta in sermone angelico cap. 7. & 8. astringat, Adamum, Abrahamum, Isaac, Iacob, & David ingenti lætitiæ affectos cum spiritu agnouerunt Dei genitricem ex suo semine nacturam; quin etiam eam nonnullis ethnicis non omnino ignotam fuisse ostendunt ea, quæ cum de sacratissimo Mariæ nomine longè ante præcognito ageremus, cap. 4. attulimus, quod ipsum perspicuè testantur vaticinia Sibyllarum, quæ quidem ex Varrone apud Hieronymum libr. 1. contra Iovinianum, & ex Lactantio lib. 7. contra gentes decem fuerit; nimirum Persica, Lybica, Delphica, Samia, Cumanæ, Hellespontica, Phygia, Tiburtina, Erythræa, Cimmerica; sua verò singulæ oracula de Deipara versibus prodidere, quos prolixè recitat Canisius lib. 2. de B. Virg. cap. 7.

24 Quæ cum ita sint, remini mirum videri debet, si inter densissimas Ethnicissimi tenebras nonnulli Dei beneficio Deiparæ cognitionem, tametsi obicuratam adepti, eam non absque diuino consilio atis, ac templis, ut dicebamus, venerati fuerint, quod ex subjectis exemplis planum fiet.

Druidæ Gallorum Sacerdotes inter eos sapientissimi sunt habiti; & ut verbis utar Cæsar lib. 2. de bello gallico: *Non tantum magno erant apud reliquos in honore, sed etiam certo ante ejus ni tempore in sinibus Carnutum, qua regio totius Gallia habetur media, consuebat in loco consueto, ibique de aliorum controuersijs constituebant.* Hi quemadmodum olim Athenienses a tequam Deipara nasceretur anni Carnuti: Verbe Gallia Lugdunensis florentissima in eodem agro, qui ipsorum comitijs erat destinatus, Atram sub terram profunde excauatam Deiparæ dicant cum hac inscriptione, *Virgini Parituræ: quem locum postea sub terra, & super terram egregie ampliatum, atque exornatum Christiani in celeberrimam Ecclesiam cathedra.*

Præcognita Cap. 34. S. Thomæ

Bernardus

S. Brigitta

Cap. 4.

Varro. Hierony. Lactantius Syllabarum numero

Canisius

Ara Virgini Parituræ in multis ante ejus ortum ante Druidis erecta. Cæsar de bello Gallico.



Cassianus
Nauarrus

Belfora-
Aut.

Willhelmus
Mulheim-
bursensis.

dralem exererunt, quem admodum Carnuten-
fes, ac ejusdem loci incolae constanter affir-
mant, idque referunt Cassianus in catalogo
gloriae mundi, par. 12. consideratione 20. &
Nauarrus de oratione, & horis canon. libr. 21.
num. 28. Hanc postea Ecclesiam Carnuten-
sem Caroli Calvi Regis liberalitate extructam
affirmat Belforestus in Annalibus Franciae ad
Ciriolum Calvum, postmodum a Fulberto
Carnuteni Episcopo Deiparae impense addi-
cto, pietate, doctrinaque clarissimo, cui aegro-
tanti e sacro ubere lac Deipara praebere digna-
ta est, renovatum largitionibus Canuti An-
glorum regis tradit Willhelmus Mulheimburi-
ensis li. 2. de gestis Anglorum cap. 11.

Nec illud silentio praetereundum, horum
Druidum consilio praeter Aram, Statuam quo-
que Deiparae cum Pueri esse positam, quem-
admodum Nicolaus Naucelius professione
medicus in Parecbasi de mirabili nativitate
Christi cap. 11. testatur his verbis: *Annalium
Carnatenium historia de Druidibus (si forte olim
Gallorum Magi, seu Sapientes, eo potissimum tra-
ctu, inter lucos versari soliti) cerio memorat, &
constanter affirmat, homines religionis, atque o-
mnium scientiarum peritos Christi Aduentum
praesensisse, & praesidisse, quorum imbutus doctri-
na Comes Carnutenensis, nomine Priscus, statuam
erexit Virginis matris puerum in sinu gestantis:
eidemq; Virginis pariturae templum consecrauit a
Godofredo Montis Loricis Comite communibus
impensis aditus, Christi Aduentum longe ante
humano generi saluare praestolatus, meritoq;
veneratus, haecenus ille.*

Argonau-
tia Oracu-
lum consu-
lonibus
templum
Des Geni-
trici dica-
dum respo-
detur.
Gensbrar.
Augustin.
Plinius.

Zino Im-
rator,
Cedrenus.

25 Argonautae, qui ex G. nebrardo tempore
Ahiatonis Iudicis ante Christi Aduentum an-
nis mille ducentis circiter vixerunt (quem ad-
modum etiam colligitur ex Augustino libro
18. de Ciuit. cap. 15.) Cyzici in Hellesponto
templum extruxerunt praeclassimum, quod
a Plinio l. 36. c. 15. veluti maxime admiranda
celebratur, consultoque ab eis Pythio oraculo
responsum retulerunt Matrae Verbi aeterni ge-
nitrici dicendum esse: & quamuis ipsi verita-
tis ignari daemones intracta Rheae, quam Deo-
rum matrem stulta gentilitas fabulabatur si-
militudine quadam profusis dissimili decepti,
illud consecrauerunt, Zenone tamen Imperatore
ad verae Dei matris cultum est traductum: tem-
plum gestam Cedrenus in compendio narrat his
verbis.

Quo tempore Iudicos Israelitico populo praesua-

ruunt, Argonauia cum Iasone Theffalo, Polluce,
Hyla, Telamone, ac reliquis in Colchidem nauigauerunt,
qui cum per fauces in Ponticum mare
transire vellens Cyzicum Hellesponti Dominum
nauali prelio ipsos prohibere conantem interfecerunt,
ac Cyzicum Urbem Hellesponti primariam
caperunt. Mox cognito Cyzicum sibi genere pro-
pinquum fuisse, uenae postulata, templum condi-
dere admodum mirabile, atque ad Oraculum,
quod est ante Pythias Thermas profecti Phabum.
Apollonem rogauerunt, ut sibi ediceret, cui aedes con-
secranda esset, responsum ijs in haec est sententia,
Affidua uirtute decus sublimis parate,
Atque unum (sic mando) Deum, qui cum-
sta gubernat,

Caeli res fidus solicolite, atque timete,
Illius aeternum natum ante secula Verbum,
Nescia Virgo uiri quondam partu tenera e-
des:
Quod ualuit igniferis impulsas sagitta procel-
lis,
Edomitum reddet Patri pro munere mun-
dum;
Huius, quam Maria nomen, manet, alma ge-
nitrix
Agnoscat templum proprium sibi uice dicatum.
Hoc oraculum arijs literis in marmore im-
pressis conscriptum ille in supero porta limine po-
suerunt, atque ipsi quidem tunc ad eam Rheae ma-
tris Deum dixerunt: sed ea postea Zenone impo-
rante templum sancta Dei genitricis denominata
fuit, haecenus Cedrenus.

At uero oraculum hoc, quod e graeco Isti-
nus Cedreni interpres uersibus para-
hasticos uertit: nos quo oraculi sententia planius perci-
piatur sic ad uerbum ex Cedreno uertimus.

Quaecumque quidem ad uirtutem, & orna-
tum uisa sunt facite: Ego uero iubeo colere
unum solum apud superiores regnantem Deum,
cujus Verbum nulli corruptioni obnoxium, in
intactae puellae utero conceptum erit. Hoc
Verbum tanquam sagitta ignifera medium
percurrens uniuersum Mundum, cum eum
caeperit, Patri adducet donum, illius puellae
erit domus haec, Maria uero nomen eius: huc-
usque oraculum.

Huc etiam pertinet templum illud a Iasone
eorundem Argonautarum Principe in arce
Atheniensi positum, quod Deiparae consecra-
tum esse Apollo Delphicus diuina uirtute
coactus uaticinio praedixit, cuius uaticinij
ucriba

Cedreni
interpres

Simile re-
sponsum ab
eodem ora-
culo de Ie-
suo a Iose-
pho

antiquo.
S. Proco-
pius mar-
tyr.
Metaphr.
Syr.
Synodus.
secunda
Nicens.

verba à S. Procopio martyre ex antiquis Græcorum Annalibus allata, habentur in eius vita apud Metaphrastem, quam Surtius ponit die 8. Iulij eius pòrto vitæ tanta est auctoritas, vt inde pro cultu Sanctarum imaginum in 2. Nicæna Synodo Act. 4. testimonium sit illatum; ex eaque nos quæ huc spectant afferemus.

Sanctus igitur Procopius martyr, cui nomē antea Neanias, Christo Domino eum peculiari- ter vocante ad fidem conuersus, in persecu- tioni Diocletiani Imperatoris dira supplicia est perpeffus, primum sub Iusto Præside Pale- stinæ: mox eo extincto sub illius successore Flauiano: demum in clyto martyrio est coro- natus: is cum Flauiano rationem christianæ fidei magna animi constantia redderet, Deiq; vnitatem ex Mercurio Trismegisto, Socrate, & Heraclyto consummasset, Christi etiam In- carnationem, & cruceem ex Sibilla ostendisset, tandem ex Ethnicorum historijs hoc subiicit; *Cum Iason princeps Argonautarum ad templo, quod Athenis primum constructum est in arce, Delphicum Apollinem egeset ares illa, sic respondit Oraculum: quæcunq; ad honestatem, virtutemq; vos incitant: facite: Ego autem tres cupio, Deum unum regnantem apud Iuperos, cuius verbum ab interitu alienum conceptum in simplici Virgine, qui tanquam ignitus arcus percurrens mundi medium omnes capiens eos adducet donum Patri, Huius erit hæc ades, MARIA autem erit nomen eius. hæc ibi. Dæmones verò cum ea omnino obliterare non possent, suis saltem mendacijs adulterare sunt conati. Nam & Verbum Dei, quod est Patris Sapientia, ad capiendum mun- di impetium instat igniferæ sagittæ, vel ipsius oraculi prædictione missum, eiusque Genitricem Virginem simul imperite micentes, & mendacijs confundentes vnus fabulosæ Mitheræ commento, in quam hæc omnia con- gesserant; obsecrare se posse sperant: ideoque eorundem dæmonum instinctu Poetæ Mitheræam ex Iouis capite progenitam, eamque sapientiæ Deam, ac Virginem militaribusque armis instructam, & Athenarum præsidem, in quatum arce templum à Iasone excitatum erat, confingentes, huic vaticinio tenebras ostudere. Hinc etiam factum fortasse est, vt à stulta gentilitate Mitheræ in arcibus templa fieri consueverint, quemadmodum docent Farnutus, & Vitruuius libro primo ad quod respexisse videtur Virgilius Egl. 2. cum sic cecinit.*

Farnutus.
Vitruuius.
Virgilius.

Pallas quas condidit arces

ipsa colat.

At dicit aliquis, idem videri templum il- lud Argonautarum apud Cedrenum, & hoc Iasonis à S. Procopio citatum: nam eadem protius sunt oraculi verba in vtraque histo- ria, & Iason ipse Argonautarum Dux, & Prin- ceps fuit. Cæterum diuersa esse hæc, suadere videntur: nam illud Cyzici, istud Athenis; illud ab Argonautis vniuersis, hoc à solo Iasone, de illo consultus est Apollo ad Thermas Pythi- as, de hoc verò apud Delphos, illud postea Rheæ, hoc Mineræ ab Ethnicis est dicatum. Et fieri faci è potuit, vt Dei nutu ad huius vaticinij veritatem magis confirmandum idem responsum, quod Argonaute cum Iasone apud Pythias Thermas acceperant, ijdem verbis referret Iasoni solus à Delphico Apolline, Quod si malimus idem esse Templum, quod ab vtroque Auctore describitur, sed propter rei gestæ vetustatem aliquantulum historicos inter se discrepare, illud certè probatum manet, Templum Deiparæ multis antequam nasceretur seculis à Iasone, & Argonautis ere- ctum, ac dæmonum malis artibus quasi fuito sublatum, & Rheæ, vel Mineræ iniquis pos- sessoribus additum: postmodum Christi fide in vniuersum terrarum orbem illata, Cedreno auctore, vt diximus Cyzici Zenonis Imperato- tempore ab iniqua possessione vindicatum, veraq; Domine restitutum ad Dei genitricis honorem certius, planiusq; reuocatum est.

Ægypti Quodq; ante Christi aduentum Virginem in lecto, & Infantem in Præsepio passim collocare, & adorare consueuerunt, teste Canisio lib. 2. cap. 7. Cuius rei causam ro- gati dicebant, quoniam ipsorum maiores hoc à sancto Propheta acceperant. Et certe S. Epi- phanius in vitis Prophetarum refert Ieremiam Ægyptijs prædixisse Idolorum suorum tui- nam: *Vbi Ægyptum, inquit, ascendet cum suo infante Virgo enixa, Deo similis. sic Epiphanius, quod factum est Christo infante cum sua Genitrice in Ægyptu He- rodiarum rabiem fugiente, quemadmodum c. 23. diximus.*

*In quo ad-
duo hac
oraculi re-
sponso in-
ter se dis-
crepant.*

*Deipara
ante Chris-
ti aduentum
in lecto
ab Æ-
gyptijs præ-
cognita
Canisio
Epiphanius.*

Tam.